

tivam *Marciano* Jcto in *d. l. 6.* addendam esse voluit, ut utrique negatio inserta sit textui. Sed mediam non tantum ingrediuntiam viam semper judicavi tutissimam, sed correctiones quoque textuum detestandas maximopere & vitandas esse nunquam non opinatus sum. Unde cum *Gilberto Regio 2. Enant. 4. Hilligero ad Donell. l. 4. c. 1. lit. M. Crispino, & Vultejo ad d. §. 9.* utramque diversò tamen respectu defensum ire malle lectioem. Ut, quod *Marcianus in d. l. 6. §. pen.* adscribit consensui & rati habitioni, id *Justinianus in d. §. 9.* solum efficere posse innuit consensum. Qui si à Domino ab initio appositus fuerit illationis mortui in locum purum alienum, inferentem omninò præstat securum. Addeò, ut, etsi deinceps Dominus pænitentiam ductus locum illum, in quo sepulchrum exstructum est, repetere sustinuerit, ac si propter dissensum suum succedentem illum efficere religiosum inferens haud valuerit, tamen locus iste remaneat religiosus, quamvis Dominus eam illationem ratam habere nollet. Unde sibi suæque, quantum puto imputare debet inconsiderantiam, quod ab initio consenserit, & sic quod semel placuit, ipsi amplius displicere non possit *c. 21. de R. J. in 6.*

XIII. Quamvis autem inferens mortuum in locum alienum invito Domino, eum non efficiat religiosum, uti hoc antea satis, prout confido, deductum; nihilominus tamen jus nostrum omnem omni penitus rescindere allaborans conquerendi occasionem, quam saluberrimum præterea Domino fundi subministrat remedium, quò instantis fortè damni in loco suo tempestatem dispellere possit. Neminem enim existimo inficias ire posse, aliqvale saltem Domino loci illius hac ratione inferri damnum. Provisum itaque ipsi prætorio largiter edicto, quò adversus inferentem actionem in factum istud intentare potest. Consecuturus illam per pretium istius loci in quo sepulchrum factum vel ut tollat inferens demortuum illatum *l. 7. pr. π. de Religio/ Religione* tamen sepulchri, inferentis arbitrio derelictum esse nullus dubito, an pretium offerre, an verò locum in pristinum restituere statum velit, defuncto satis firmò ex *l. 10. §. fin. π. de J. D.* argumentò. Majus adhuc favoris Religionis sepulchri hic latet indicium. Contra receptas enim & communes juris non modò naturalis, sed etiam positivi regulas in *l. 11. C. de contrab.*